

11.16.36m



AD ASTRA  
ET  
RES MULTUM DISSONAE  
VERBIS

36m

Litt.

Bibliothèque Maison de l'Orient



171959

AD ASTRA  
ET  
RES MULTUM DISSONAE  
VERBIS



u. H. 56m

AD ASTRA



ET

RES MULTUM  
DISSONAE VERBIS

CARMINA

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATA

EDIDIT  
ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA  
AMSTELODAMI  
MCMXXIX

# AD ASTRA

CARMEN

HERMANNI WELLER

ELLWANGENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO


MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXIX



## AD ASTR A

---

Tout lui souriait en apparence, mais  
c'était à ce moment, que Dieu l'at-  
tendait.

L'Abbé Dubois, Histoire de L'Abbé  
de Rancé, I, 106.

---

Cum dedit ambrosios tellus vestita colores  
Vero novo, nostrae capiunt nova gaudia mentes,  
Spes redit affulgens, et quas formosior aetas  
Quaerere delicias suadet, tum blandius illae  
Arrident cupimusque dies haurire fugaces,  
Pocula nectareo veluti spumantia Baccho.  
Sed capit innocuos spectantis pectora flores  
Nescio quis maeror, verisque intacta venustas  
Mollia sollicitat furtivo corda dolore. —  
Stabat odoratis iuvenis Rancaeus in hortis  
Turrigera pressum collem cingentibus arce.  
Reddiderat villae iustum ver nominis usum,  
Quam veteres olim dici voluere „Vireta”.<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Véretz.

Iam lacte frondes herbosaque prata virebant  
Pictaque odoriferis vernabant floribus arva.  
Aspiciens florum mites Armandus ocellos  
Titanis nitidi fulgentes luce recenti,  
„Germina veris”, ait, „mollis pia lumina prati,  
Ad caelum splendens innoxia tollitis ora  
Et bibitis puras divini flaminis auras.  
Hoc quoque cor purum fuerat: sex lustra nitorem  
Pectoris ah nostri iam pridem pulvere foedo  
Obtexere, malas urbis concepimus auras.  
Vestra creatorem collaudant ora benignum,  
Fundere qui iussit pinguem sua munera terram.  
Utque Deo tribuit benevolentia tura sacerdos,  
Ambrosio lenes auras miscētis odore.  
Me quoque sacratum Divi scitote ministrum  
Numinis; electus clari sum praesulis actor  
Atque coadiutor, sed qualia sacra peregi:  
Hostia mactata est in opacis plurima silvis  
Pro sacrisque senis lyrici praecepta docemus,  
Quem Teos uda tulit. Telluris sidera pura,  
O mihi si liceat vobiscum vivere, flores,  
Tamquam frater amans, vitiis culpaque solutus”.

Sic fatus meditans stabat, cum nuntius urbe  
Missus adest magna, chartam qui tradidit illi:  
Scripserat haec caro Rancaeo dulcis amicus:  
„Francigenùm lux magna, veni, loca sola relinque  
Adque Parisiacas redam nunc dirige turre:  
Te vocat urbs felix, vernis redimita coronis,  
Te revocant teneris ornati frondibus horti,  
Quaeque novos ardent flores profundere gemmae.  
Te, fugitive, vocat sociorum turba fidelis,  
Te vocat illustris, tua gloria, care, Maria”.  
Ut sensim fugiunt nubes caelumque serenum  
Fit, sic laetitia miti perfusa legentis  
Abbatis ora nitent sensim fiuntque serena.  
Iam victus dat terga dolor gravitasque recedit  
Et nova lascivae fugiunt fastidia vitae.  
Omnia Rancaeo ridebant, ipsaque veris  
Numina per silvas, per amoenos undique campos  
Ire videbantur, rursus sub sole iuvabat  
Vivere flammifero. Redam iubet ille parari,  
Et petitur celeri populosa Lutetia curru.

Qualis in exculto floret rosa nobilis horto  
Lumine sub nitido Phoebi, quam serior aestas  
Progenuit laetamque suo splendore beavit  
Et quae, magnifici floris dum pandit honorem,  
Pulchrior est aliis cunctos retinetque videntes,  
Talis honoratâ mire florebat in urbe  
Filia clara Ducis, decus urbis dulce, Maria.  
Non raro decorat matronas mira venustas:  
Huius Acidalias superabat forma sorores.  
Adde quod humani mores semperque serenus  
Vultus erat sociosque suae doctissima mensae  
Femina iucundo poterat retinere sedentes  
Colloquio. Quisquis clara florebat in urbe  
Artibus ingenuis, gratus conviva Mariae  
Semper erat. Dapibus divûm pars laetior illis  
Praeerat: uvifera decoratus vite Lyaeus  
Et Iocus et lascivus Amor cum Matre serena  
Et Charites blandae. Nihil illâ maius habebat  
Rancaeus: fuerat puero velut altera mater,  
Iamque erat alma soror simul et venerabilis illa  
Semper amica; Ducem vocitabat Pallada saepe,  
Saepe suam Venerem, nemoralem saepe Dianam.

Illius Armando domus optatissima sedes  
Et tamquam schola dulcis erat, qua discere posset  
Insignes bene delicias artemque fruendi.  
Tum quoque, cum tandem claram remeasset in urbem,  
Illustris dominae coetus non rarus adibat,  
Quique feras studio venans agitaverat acri,  
Ecce voluptates cupide sectatur. — Amoeni  
Flos veris iamiam plenum pandebat honorem  
Iamque abiturus erat mensis Cythereius. Aestu  
Durus erat fervensque dies. Ranaeus in urbe  
Errabat solus: recubabat forte Maria  
In lecto molli necopino languida morbo.  
Nescio quae meditans pulchros dum praeterit hortos,  
Laetificas audit voces, subitoque Philander  
Dulcis adest sociumque trahit portam per apertam  
Horti, Ranaeum, stupefacto corde sequentem.  
Ducitur ad laeti raptim loca grata vireti,  
In quibus ornati peragebant annua veris  
Festa viri cum matronis pulchraeque puellae  
Et iuvenes compti: nymphas oviumque ministros  
Nec non ruricolas Faunos iuvenilis agebat  
Turba: sed his non pellis erat villosa, nec ulla

Signa theatralis durae feritatis amictus  
Praebeat, tenero vestis bombyce nitebat  
Et molles violae decorabant scepra polita  
Pastorum. Nec erant hic naturalia saxa  
Nec veteres silvae, trucium secreta ferarum  
Lustra, nec ullus ager, sed erat, quodcumque videbas,  
Artis opus doctae, peregrinis consitus herbis  
Hortus, et excultae facta sub rupe cavernae,  
Illimesque lacus mire salientibus undis  
Conspicui. Nomenque ipsum sibi sumpserat illic  
Quilibet a Graecis. Tamen elucebat ubique  
Ingenuusque lepos Francorum et grata venustas.  
Adductus laetis igitur clamoribus Abbas  
Excipitur, iuvenumque cohors acerrima, plausu  
Ingenti resonante, virum per amoena vireta,  
In fortes umeros elatum, ferre paravit  
In parvum viridi vestitum gramine collem  
Et pictum calthis. Ubi pervenere ferentes,  
Leniter in levi posuerunt marmore sellae  
Rancaeum. Duxere choros per gramina nymphae  
Et Panes et quisque sua cum coniuge pastor,  
Laetificisque simul resonabant cantibus horti.

Nec mora finitis tacite Polydora choreis  
Prodiit et fudit tales ex tempore versus:  
„Tempore florifero salve mihi, candide vates,  
Praeco docte senis, laeti qui munera Bacchi  
Et teneri lepidas artes celebravit Amoris.  
Tu quoque pulchra doces et amas quaecumque decora  
Grataque sunt. Salve: te diligit omnis Olympus,  
Pastorum decus es, tua tempora cinge corona,  
Quam tibi nympha tulit, dominum regemque salutans”.  
Haec dicens caput Armandi Polydora corona  
Implicuit viridi, nitidis spargitque amaranti  
Floribus et violis umeros pectusque sedentis  
Rancaei. Laeto fremitu sonat hortus ovantum  
Totus, Aristodamas accedit et aurea tollens  
Pocula plena mero fulgenti talia dicit:  
„Quid tibi cum nostris, felix Armande, coronis?  
Illius insignes nectit tibi gratia lauros,  
Quae nostrum decus est et lux praeclara, Maria,  
Feminei regina chori. Te ponet in altis  
Sedibus haec, haec te magnis heroibus olim  
Inseret, hac ductus praelucens ibis ad astra;  
Hoc sidus nitidum multos tibi luceat annos”.

Dixit et absentem veneratur rite propinans  
Armando. Faustisque locum clamoribus implet  
Laeta cohors. Abbas tanto superatus amore  
Laetitia totus rapidis immergitur undis.  
Sed vergente die, cum longior umbra cadebat,  
Aestus crevit iners, subitoque emergerat ingens  
Nubes, concretis glomerata vaporibus, albo  
Margine candescens, nimbos et fulmina condens,  
Ardua, funesta iamiam caligine caelum  
Iniciens totum. Ludi speciosaque festa  
Finierant. Hilaresque domos petiere catervae,  
Alta celebratae Rancaeus tecta Mariae. —  
Iamque cadunt magnae crebro cum fulgure guttae  
Imbris, et omne tonat caelum. Vix pervenit Abbas,  
Quo tendit. Gradibus scalarum ascendit anhelus,  
Ad limen stantis non curat verba puellae  
Tristia, non audit, totiens conclave revisum  
Intrat — et attonitus subita formidine primo  
Rettulit ille pedem, tum frigidus occupat horror  
Membra, coit sanguis, oculos obtutus inertes  
Defigit tacitus: iacet heu Dux nobilis arca  
Condita ferali, dulcis iacet ecce Maria.

Tristibus ardentes flammis hinc inde lucernae  
Fulgure vincuntur, mortis quo fiat imago  
Horridior. Fragor aetherius ventique furores  
Concutiunt aedes. Armando summa tremendi  
Iudicii venisse dies extremaque mundi  
Fata videbantur. Sonitûs perterritus audit  
Terribilis litui miro stridore vocantis  
Defunctos ante ora Dei summumque tribunal.  
Deficiunt vires, iam vix se sustinet ipsum  
Errantique gradu titubans procedit ad arcam,  
Sponte genu submittit iners, sua bracchia pandit  
Et super exanimae corpus procumbit amicae. —  
Torpor abit tandem, saevi quoque turbinis ira  
Cessarat, fuit alta quies, defigit in ore  
Dilecto mites oculos Armandus, et imbre  
Rorantur tepido pia lumina. Flamma lucernae  
Funestae tremulas faciebat mobilis umbras:  
Mortua sic gelidos artus est visa movere  
Leniter et molli placide ridere labello  
Ac sensim dulces oculos aperire, benigno  
Obtutu socium spectantes: brachia sensit  
Armandus velut amplexu tollentia dulci

Se super humanas valles ad sidera pacis.  
 Surgit, et ex oculis mire lucentibus ignes  
 Aetherii fulgent, singultus concutit ora,  
 Supremumque vale dixit Ranaeus et amplis  
 Aedibus egreditur. Iam nox umbrosa tenebris  
 Obruerat terras, per vicos urbis odores  
 Ambrosios udi fundebant roribus horti.

Qui tauros domuit tristes, vicitque Chimaeras,  
 Laudatur merito. Saevis qui fluctibus ictus  
 Et glacie pressus gelidi deserta petivit  
 Regna poli, cingat victrici tempora lauro.  
 Qui Decii similis morti se vovit amarae  
 Proque suis cecidit, celebrent hunc carmina vatum  
 Seraque posteritas. Sese qui vicerit ipsum,  
 Maior erit magnis heroibus ille. Coronam  
 Ille ferat summam, superis non carior alter. —  
 Vallis erat secreta, iugis circumdata curvis  
 Et silvis tacitis, multos inculta per annos,  
 Exhalans nebulas, crebris afflicta procellis,  
 Tristis, Aremorici pars neglectissima tractus.  
 Hic celebranda cohors divini carmine vatis

Difficilem contra sese fortissima pugnam  
Pugnabat victrix. Quondam qui clarus honoris  
Iactarat titulos, contemni gloria summa  
Est illi. Rutilum sibi qui cumulaverat aurum,  
Pauperiem patitur, duos perferre labores  
Divitiasque putat. Blandi qui gaudia luxus  
Quaesierant, gratum vitae qui munus amarant,  
Perpetuo mortis memores sua corpora torquent  
Suppliciis: haec est illis iam summa voluptas.  
Qui modo deliciis longas consumere noctes  
Ausus erat celebrans Bacchum Veneremque iocosam,  
Cantibus hic rumpit nocturna silentia sacris.  
O fortes monachos, o sancti militis arma,  
Numquam terrigenûm regnis infesta. Beate  
Miles, qui tanto felix ductore triumphes:  
Armando. Magnis victoribus imperat ille  
Atque ducum dux est fortis, rex denique regum,  
Cui frontem pietas, sanctum diadema, coronat. —  
Ecce perangustae pius Abbas ante fenestram  
Stat cellae meditans. Nox est tranquilla. Renident  
Astrorum fulgore nives durata tegentes  
Arva gelu. Stellis de collucentibus una

Clarior effulget, miro splendore corusca.  
Aspicit Armandus tacitis hoc sidus amoenum  
Luminibus, memori vitae transacta revolvens  
Tempora corde, senex iam tempestivus Olympo.  
En, subito fulgent oculi, vultusque severus  
Ardorem victoris habet pacemque serenam.  
Fallor an illius meminit, quae duxit amanti  
Amplexu socium per nubila mitis ad astra?



RES MULTUM DISSONAE  
VERBIS!

RES MULTUM  
DISSONAE VERBIS!

CARMEN

ALAFRIDI BARTOLI

SALERNITANI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXIX

## RES MULTUM DISSONAE VERBIS!

---

Cur ita rus urbi praeponam, saepe requiris,  
quidve, rogas, faciam desertis solus in arvis.  
Gaudia, crede mihi, quaeque otia venor agrestis,  
vera ea sunt demum, quae expertus et ipse, videbis  
haec qui simplicitas vitae praecurrere vestrae,  
et suadere queat non notas civibus artes.  
Nec minus interea caris impendo Camenis  
et studiis operam, veterum sapientia patrum  
unde viget, melius nostri qua innititur aevi  
laus et doctrinae haudquaquam iactatio sanae.  
Ne tamen ille tibi *laudator temporis acti*

6 RES MULTUM DISSONAE VERBIS!

hinc videar, Tulli, neu, libro obnoxius uni,  
inde exempla mihi quaedam deducere mentis;  
quae nuper legi Senecae praecepta severi,  
alta quidem plerisque, mihi vilissima, flocci  
non facio, nimium dictantis dissona rebus.  
Quippe suis dignum monitis evexit alumnum,  
cunctos saevitia siculos graecosque tyrannos  
vincentem! . . . Quotiens autem mecum ipse revolvo  
illa voluptates fluxae spernentia vitae,  
rebus et adversis ipsoque in limine mortis,  
sese ut praestet homo fortem, suadentia, quadam  
allectum veri specie me cuncta probare,  
infirmoque sequi ratio tum pectore cogit;  
mecumque „Egregiam Sophiaeque a numine mentem  
instinctam, nihil humani cui ponderis usus  
officiat! Nulla devicta cupidine sensus  
namque voluptates nescit vel strenua spernit,  
seque solo extollens Epicuri ex arce benigna  
deicit excerptos flores mortalibus aegris.  
Haec sua quae obtineat Virtus altaria digna,  
tura sacerdotes cui dent, et carmina vates!”

Ast ubi succurrit, quam multis, aurea condens  
praecepta, affluxisse bonis perhibetur, et idem  
cuncta, quibus demptis homines sane esse beatos  
assereret, quaesisse sibi insaturabilis, aequae  
divitias, aequae spretor, venatus, honores,  
servorumque agmen per celsa palatia, villas  
rite ministrantum, atque hortos hinc inde revinctis  
in plumbo lymphis, riguos aspergine, nares  
sive marinorum, caelatum opus artis, equorum,  
seu delphines aquas fundebant ore perennes,  
candida rorantes pario de marmore signa;  
tum „Facile est” clamo „sapientia dogmata verbis  
tradere, vel qua sit nobis ratione ferenda  
pauperies, cui sunt, optavit quicquid, abunde  
omnia, cuique favens, ita dicam, Copia nupsit!” —  
Sic mensam laudare brevem modicasque patellas  
in ludo quemdam, et longo damnare bibaces  
audimus sermone, cutis quem tenta nitensque  
occiput et crassum, quem pingue fatetur omasum  
lurconem, Bacchique ruber dat nasus amantem!  
Unde fit ut, doctam linquens ubi rite cathedram,  
ipse petit parcus saliares helluo mensas,

8      RES MULTUM DISSONAE VERBIS!

illum discipuli dictis comitentur amaris!

---

Huc, Annaee, veni; hic lateas ceu glis, rogo, mecum,  
parque tuo fiam Lucilius alter, et aures,  
ne dubita, ipse tibi dociles praebebo magistro:  
utque bibit sitiens aestivo tempore campus  
imbrem, ego cuncta tuae paullatim dogmata mentis  
accipiam, sucusque mihi sanguisque per omne  
corpus erunt conversa statim; quodque excidet ore  
inde tuo, latebris fidi mandabo cerebri,  
quod iam nunc voveo proprium tibi et usque tuebor,  
ut gravibus reddas effatis pingue sophorum!  
Vota, voluntates, generis deliria nostri  
cetera, doctrinae ex summa ridebimus arce,  
sceptrigerique simul, qui divus habetur, alumni.  
Nonne tui sentis hunc iam fastidia dudum  
cepisse, immo odium? Patere hunc, quam collibet, artem  
exercere, fides, seu tangere malit habenas,  
adstrictoque iuвет percurrere pulpita socco,  
sive aliud cupiat quocunque haud principe dignum;  
nam male dementum frenes ludibria regum.  
Nec minus ipse tuas obliviscaris oportet

divitias, agros, delatos nuper honores,  
congestique auri, quod amare videris, acervos:  
huc opibus vacuus, caelesti at munere tantum  
dives adi Sophiae, qua aliis solamina praebes.  
Qui tam saepe doces stolidi vitare tumultus  
vulgi opus esse, tenax animis et id usque retorques  
ut clavum tardis, te frigus amabile in umbra  
hic captare, leves dulcesque audire susurros,  
castanae cieunt quos summa cacumina, flabris  
commotae aestivis, perque omnia munere Bacchi  
Vertumnique simul spatium plena iuvabit,  
mollior et somno, gryllis cantantibus, herba!  
Partiar ipse meas epulas tibi parcus inemptas:  
hic non pocillis infusa venena timebis  
fictilibus, morti intentamve verebere sicam.  
Hic, fame conditus quin immo videbitur anser  
esse, empta in Colchis iucundior gratior alite Romae.  
Saepe tamen, fateor, tali quoque mensa carebit  
nostra cibo, neque erit nobis fors unde paremus;  
verum tunc inopes, ceu carae ad brachia matris,  
mox pennis animi — nostro de more loquendi —  
in Sophiae templum validamque volabimus arcem;

lactucaeque dapem nobis malvaeque salubres  
 et capitata dabit vicini brassica septi,  
 per nos Pythagoram ut cuncti revirescere credant,  
 rusque Samos fieri videatur et altera nostrum!  
 Non ut edat, dixisti hominem tu vivere, verum,  
 ut vivat, comesse: probe! Nil scilicet illi  
 divitiae prosunt, sit ut omni ex parte beatus;  
 contentis at id aiebas contingere parvo,  
 atque illis, quod adest, sibi qui satis esse putarent.  
 Nunc quae tam facili suadebas ore, libenter  
 experiare volo, et specimen sis nobile verbis:  
 tum, quae alios doceas, animo percepta tenebo;  
 ni nugas loqueris, fas sis exemplar alumnis;  
 res non dicta valent: ea sola pecunia demum!

---

Auribus at surdis canere et me fundere, Tulli,  
 irrita verba Notis video, cui quippe repugnet,  
 nec parere velit, magnis qui laudibus effert  
 pauperiem dives, qui rus monet, urbis amator,  
 Virtuti esse unam sedem Pacique receptum.  
 Haec Senecam Romae puto fastidire morantem;  
 quae bona sint aliis nam strenuus auctor, eorum

nil cupit ipse sibi, sua collaudata perosus;  
et dum sobrietas tumidae praeconia linguae  
exiguaeque dapes illi permulta ministrant,  
ostrea mordentem stagno saturata Lucrino,  
Phasidis aut pulpam volucris, mullique trilibris  
extis in patina, medicus ceu corpori, hiantem  
aspice, et interea potantem Caecuba, sive  
interiore nota madidum persaepe Falerni  
audi convivis aures obtundere, vana  
omnia mortales misere affectare locutum,  
corruptosque hominum mores questumque, quod ultro  
ingenia heu! luxus et commissatio perdant!

---

Dicere sed „Satis est!” hic ipse videris, amice:  
Anticyram certe helleboris sanandus, abito;  
nam Seneca est multis Orco iam dedita saeculis  
victima, et Elysii silvas levis umbra frequentat;  
Epittetus et ille comes, comes adsidet ille  
Plutarchus; tres saepe viri per amoena vagantur  
prata simul, doctusque suis Annaeus amicis  
ponderis ostentat magni quandoque volumen,  
et nonnulla legit sapiens sapientibus illis. . . .

Tuque vocas vita functum? expectare licebit!  
 Esset idem, mihi crede, tamen, si viveret usque;  
 namque bonis adsuetus homo, cum prorsus egena  
 non sit vita bonis (sed habet Fortuna, quibusque  
 malit ad arbitrium donat!) patienter et aequo  
 fert animo aerumnas, propria nec sorte quiescit.  
 Consersam dum flore viam quis nescio calcat,  
 nil miror, nostram dicat si pergere vitam  
 per saxa et sentes, alieni psittacus oris,  
 seu grave quid percurrit, seu iocularia, itemque  
 cum labiis melle infusis absinthia laudet!

---

Eia, iter ad patrias remeanti pandite sedes,  
 auctus Apollineae qui nuper frondis honore  
 ex Antenorea sapiens venit urbe daturus,  
 aedibus ipse suis nactus mollissima quaeque,  
 aegris ampullas et sesquipedalia verba,  
 magnaue lenimen cunctorum effata malorum,  
 tantum aliis praebenda, tamen! Quot saepe, Boethi,  
 nostra tui similes, at verbis, protulit aetas!  
 quique tuis, a se, vano medicamine, spretis,  
 contendunt normis reliquos mulcere dolentes!

pro! nugatores! Stratis vix namque relictis,  
aut natis in cuncta gulae oblectamina mensis,  
vel modo lascivae Phrines complexibus usi,  
ulcera ad humani, quae dira effecit egestas,  
isti se sananda parant teterrima cordis,  
vaniloquis Sophiae praeceptis plena ferentes  
scrinia, nunquam animos nummis solantibus aegros.  
Sic irae puerum proclivem saepe videmus  
et morbo flentem, diversa crepundia forte  
illi si, blandita simul, nutricula tradat,  
mox aliquo captum sonitu vel luce corusca  
pacari, at subito, minuant cum nulla dolorem,  
abicere offensum, solitasque iterare querelas.

---

At vere sapiens fugit excedentia finem  
commoda communem, vanae suffragia plebis  
dedignatur item, vacuos contemnit honores  
atque voluptates, mentis mala gaudia, vitat.  
Trade mihi, venis cuius defluxit apertis  
sanguis, quique feri testatur facta Neronis,  
divitibusque manet terror specimenque, mihi, inquam,  
hunc, queis luxuriatur, opes dum iustus egenis

14 RES MULTUM DISSONAE VERBIS!

dividit, ostenta (miseros nam pondere vexat  
pauperies, exercet ubi sua iura tyrannus);  
hunc mihi amicorum crudelis vulnera sortis  
immerita, auxilium qui poscant, prode levantem,  
aeraque, si sit opus, viduis, sine patre puellis  
praebentem, cunctisque pium: quae condidit ipse  
tum „*Benefacta*” sophus mihi erunt oraculi ad instar.  
Haec si fecisset non fata expertus acerba  
ille foret, dī nam fretos virtute tuentur;  
quique suo potuit complures aere beatos  
reddere, tam multis potuit qui tergere fletus,  
argenti cura pravoque cupidine habendi,  
dogmata detrectans illos quae multa doceret,  
infelix iacuit nulli lacrimabilis unquam!

---

Non ego divitias animo conquiro, nec idem,  
arripuit quae nascentem me dira tenetque,  
pauperiem usque velim: nullos excedere fines  
omni in re doctus tantum mediocria posco.  
Dolia, par cochleae, Cynicus gerat arcta licebit  
ille, sua gaudens et paupertate superbus,  
sane hominem pleno gestans sub sole lucernam,

quaerat; at exemplum reor haud imitabile nobis.  
Namque sibi metam sapiens, ni fallor, aventi  
nescio quid medium proponet, utrumque perosus,  
aut demissa nimis petere, aut nimis alta timere:  
nempe laboramus, subitque pericula quicquid  
rerum humanarum mensuram traicit aequam:  
quiddam Lydorum, puto, regem est inter et Irum!

